



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De dignitate hominis futura, 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

paulo minus utique dixi. Nam illi tuam fœlicem notitiam jam habent per speciem, ego autem per spem, illi facie ad faciem, ego per speculum in ænigmate; illi plene, ego autem ex parte.

C A P V T V I I I.

De dignitate hominis futura.

1. **S**ed cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, quando jam revelata facie, tuam faciem videbimus. Quid jam prohibebit nos non esse minores paulo minus ab Angelis, quos tu Domine corona spei, quæ ornata est gloria & honore, coronaveris: quos tu nimis, quasi amicos tuos, honorificaveris: immo per omnia pares, & æquales Angelis? Nempe & hoc veritas tua dicit: Æquales sunt Angelis, & filii Dei sunt. Quidni filii Dei sunt, si pares fiunt Angelis? Vere quidem erunt filii Dei, quia filius hominis factus est filius Dei. Hoc utique consideranti mihi: fiducia est dicere: Non homo minor paulo minus est ab Angelis, non utique tantum æqualis Angelis, sed superior Angelis, quia homo Deus, & Deus homo, non Angelus.

2. Et dicam propter hoc, hominem esse creaturam dignissimam, quia Verbum, quod erat in principio Deus apud Deum: Verbum, per quod Deus dixit: Fiat lux, & facta est lux, Angelica scilicet natura: Verbum, per quod Deus creavit omnia in principio; idem Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus. Ecce gloria,

ria,

ria, per quam glorior, quando sane glorior. Ecce gaudium, per quod gaudeo, quando sane gaudeo. Domine Deus meus, vita & tota gloria animæ meæ. Confiteor ergo tibi Domine Deus meus: cum me creasti rationis capacem: Angelis quodammodo parem creasti, quia perfici possum per Verbum tuum, ut veniam ad æqualitatem Angelorum, ut habeam adoptionem filiorum, per unigenitum Verbum tuum Domine; per filium tuum dilectum in quo tibi bene complacuit, per unicum cohæredem & consubstantialem tibi & coæternum Iesum Christum unicum Dominum redemptorem nostrum, illuminatorem & consolatorem nostrum, advocatum nostrum apud te, & lumen oculorum nostrorum, qui est vita nostra, & Salvator noster, & spes unica nostra, qui nos dilexit magis quam se, per quem habemus fiduciam repositam & firmam apud te spem, & accessum veniendi ad te, quoniam dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus.

3. Laudem tribuam nomini tui, Domine, qui me ad imaginem & similitudinem tuam creando, tantæ gloriæ fecisti me fore susceptibilem, ut possim filius Dei fieri. Hoc utique non possunt arbores, non possunt lapides, non generaliter omnia, quæ moventur vel crescunt in aëre, vel in mari, vel in terra; quia non dedit eis potestatem per Verbum suum filios Dei fieri, quia rationem non habent. Nam & hæc potestas in ratione consistit, per quam cognoscimus Deum:

Deum: dedit autem hanc potestatem hominibus, quos creavit rationabiles ad imaginem & similitudinem suam. Et ego utique, Domine, per tuam gratiam homo sum: & filius tuus esse possum per gratiam, quod illa non possunt.

4. Vnde hoc mihi, Domine, veritas summa, veraque summitas, principium omnium creaturarum? Vnde hoc mihi, Domine, ut possim fieri filius Dei, quod illa non possunt? Tu es, qui manes in æternum, qui omnia creasti simul. Simul creasti homines & iumenta, lapides & virentia terræ. Non enim præcesserunt merita, nulla eorum antecessit gratia: quia omnia tua tantum bonitate creasti: & pares omnes creaturæ fuere in meritis, quia omnium nulla fuere merita. Et unde ergo magis tua bonitas in hac creatura tua, quam fecisti rationalem, quam in omnibus aliis, quæ sunt sine ratione, apparuit? Quare non ego, sicut omnes illæ: aut cur non omnes illæ sicut ego, aut ego solus sicut illæ? Quæ mea merita, quæ mea gratia, ut me filium Dei posse fieri susceptibilem creares, quod illis omnibus denegares? Absit, Domine, ut hoc sentiam. Tua tantum gratia, tua tantum bonitas hoc fecit, ut essem particeps dulcedinis ejus. Illa igitur gratia, qua me de nihilo creasti, illam, quæso Domine, da mihi gratiam ut tibi de hoc referam gratiam.